



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

In Festo S. Andreæ Apostoli.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

brate eam: quia magnus omninò consolationis pariter & exhortationis thesaurus vobis repositus est in ea, si fuerit qui fodiat & scrutetur.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI,

S E R M O I.

**C**elebrantes hodie gloriosum beati Andreæ triumphum, in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius, exultavimus & delectati sumus. Neque enim locus poterat esse tristitiæ, ubi tam vehementer lætabatur & ipse. Nemo ex nobis compassus est sic patienti: nemo ausus est plangere exultantem. Alioquin & nobis ipse non incongruè dicere poterat quod Salvator crucem baiulans sequentibus se & lugentibus ait <sup>a</sup>: *Filia Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Denique cum duceretur ipse beatus Andreas ad crucem: populus qui sanctum & justum dolebat injuste damnari, prohibere voluit ne puniretur: sed magis ipsa instantissima prece prohibuit eos, ne non coronaretur, imò ne non pateretur. Desiderabat siquidem dissolvi, & cum CHRISTO esse, sed in cruce quam semper amaverat. Desiderabat regnum intrare, sed per patibulum. Quid enim dicit illi amatæ suæ? *Per te, inquit, me recipiet, qui per te me redemit.* Ergo si diligimus eum, congaudemus ei, non solum quia coronatus, sed & quia crucifixus: quia desiderium animæ eius tribuit ei Dominus, & posuit in capite eius coronam de lapide precioso. Veruntamen dum congratulamur ei quod diu desideratæ crucis frui mereatur amplexu, mirum valde est si non ipsum eius miramur gaudium cui congratulamur. Dum enim noctis huius vigiliis celebrantes, in verbis tantæ exultationis cantando delectaremur, putas non fuit in nobis, qui secum cogitaret & diceret: quid sibi vult hoc, aut unde tam nova lætitia?

Certe & crux preciosa est, & crux amari potest, & crux habet exultationem? Ita est, fratres mei. Si fuerit qui colligat, semper lignum crucis vitam germinat, fructificat judicantem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium charismatum. Non est sylvestris arbor; lignum vitæ est apprehendentibus eam. Arbor fructifera, arbor salutifera est: alioquin quomodò dominicam occuparet terram? Illam dico preciosissimam glebam, cui clavorum est infixæ radicibus. Si non esset hæc preciosior cunctis, fructuosior universis, nunquam illo plantaretur in horto, nec illam permetteretur vineam occupare. Deinde quid mirum si cruci suavitatem dedit, qui dedit & igni? Aut quomodò crux iudicatur insipida, ubi dulce sapit & flamma? Quid enim sapiebat Laurentio ignis cum ir-

*Cruz preciosa,  
amabilis, &  
jucunda.*

*Sermoes S. Bernardi.*

M m m

rideret



rideret carnifices, judicem subsannaret? Quid nos ad ista dicemus, Fratres, quòd non sapit etiam nobis, quæ pro Christo est tribulatio, nec gustamus & nos manna absconditum? Sic enim victus esset omnino diabolus, nec haberet penitus quod afferret. Sufficeret nobis hoc unum adversus duplicem malitiam inimici.

*Diabolus venator hominum alios laqueis, id est, voluptatibus, alios saculis, id est, malis suggestionibus capit.*

*Amor crucis tutos nos facit à laqueis satanae.*

*b Levit. 11. b  
Deut. 14. b*

*Pisces mystici triplices; primo in mari. † al. quæ.*

*2. In Fluvio,  
3. In stagnis.*

Habet quippe nequissimus ille laqueos, habet & jacula: utpote calidissimus venator hominum, solum sitiens sanguinem animarum. Alios telis appetit malitiosæ cuiuslibet suggestionis, & in eis vulnerat multos, quorum tenuis est patientia. Alios voluptatibus irretire laborat, & in his includit multitudinem copiosam eorum quæ in terra repunt, aut volitant juxta eum. Sit ergo gaudium in tribulatione, & jam non habet malignus unde illiciat, non habet unde dejiciat, liberati sumus à laqueo venantium, pariter & à verbo aspero. Nihil enim proficiet inimicus in eo, quem Crux Christi delectat, si carnalem suggererit delectationem: & filius iniquitatis non apponet nocere ei, si ad exasperandum animum eius quamlibet immittere tentaverit amaritudinem. Non curat delicias, qui jeiunio pascitur, multo minus murmurare pro eo potest in quo etiam delectatur. Planè altissimum posuit refugium suum: ubi nec muscipula inimici timenda sit, nec sagitta; imò vero mundus piscis est, squamas pariter & pennulas habens. Porrò sicut frustra jacitur rete ante oculos penatorum, sic frustra jacitur telum in squamas loricarum. Huiusmodi siquidem pisces mundos esse legalis sanctio judicat<sup>b</sup>, qui & pinnis levantur, & proteguntur squamis: sive illi in mari sint, sive in flumine, sive in stagno. Habet etiam mare hoc magnum & spatiosum pisces mundos, & Dominica dignos mensa: quia ex his qui in seculi latitudine habitu acutique versantur, reliquit sibi multa millia quos † Apostolica sagena trahit, ut cum educta fuerit, segregentur à malis. Ubi sanè sedebit & hic noster piscator hominum, qui totam nunc post se Achaiam trahit. Habet & flumen pisces mundos, quicumque inter dispensatores fideles inveniuntur. *Fluvius* quippe est prædicatorum ordo, non in eodem permanens loco, sed extendens se & currens, ut diversas irriget terras. Sunt & in stagno mundi pisces qui in claustris Deo serviunt in spiritu & virtute. Meritò siquidem stagnis monasteria comparantur, ubi quodammodo incarcerati pisces evagandi non habeant libertatem, quòd videlicet parati sint semper ad epulas spirituales dicentes singuli intra se: Quando veniet qui me deferat? Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.

Porrò ut de lege supra meminimus, sive in mari, sive in flumine, sive in stagno, illi mundi sunt pisces qui squamas & pennulas habent. Sunt autem



De Feflo S. Andreæ Apoftoli, Sermo I. 461

autem squamæ multæ, sed una ex eis quodammodo lorica contexitur: quia una est patientiæ virtus, licet singulis tribulationibus exhibere singulas videamur. Jam verò licet squamas ad patientiam, sic pinnulas quoque ad hilaritatem arbitror non incongrue posse referri. Hilaritas quippe levat & sublevat, ut saltus quosdam in altum dare videatur, quisquis exhilaratur. Sanè ut duas habeamus pinnulas, duplex nobis hilaritas quærenda est. Et fortè propterea docet Apostolus (ille enim verè pennas habebat, quibus & in tertium usque cœlum raptus est, & volavit etiam in paradifum) non solum *gloriarî in spe*, sed etiam *gloriarî in tribulationibus*<sup>e</sup>. Prorfus sublime volat quisquis ille est quem non modo futuro-  
rum expectatio bonorum, sed præfentium quoque malorum exhibitio ipsa delectat, ita ut in eo etiam gloriatur. Talem invenimus hunc beatum Apostolum, talem miramur, talem merito prædicamus.

*Pinnule & squamæ in piscibus mundis quid significent.*

c Roma. 5. a

Unde & triplicem hic licet considerare gradum, incipientium, proficientium, perfectorum. Initium sapientiæ timor Domini<sup>d</sup>: medium, spes: charitas, plenitudo. Denique Apostolum audi, quia *plenitudo legis est charitas*<sup>e</sup>. Qui initiatur à timore, crucem Christi sustinet patienter, qui proficit in spe, portat libenter: qui vero consummatur in charitate, amplectitur jam ardentè. Solus etenim iste est qui dicere possit, quia amator tuus semper fui, & desideravi amplecti te. Longè est vox ista ab eo qui sustinet quidem, sed optaret omnino si posset non venisse in hanc horam. Denique (si non videor temerarius) longè est ab ea voce<sup>f</sup>: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*. Quid enim? Certe super asellum ascenderat, ut ne hic quidem hostibus relinqueretur. Agnosco plane in duce belli pusillanimatorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis. Considero charitatem, stupeo miserationem, expavesco dignationem. Misericors Dominus non beati Andreæ robustum sibi suscepit affectum: quia non est sanis opus medicus, sed male habentibus<sup>g</sup>. Si quem fortè dignatio scandalizat, planè meretur audire: *Nonne oculus tuus nequam est, quia ego bonus*<sup>h</sup>? Huic enim odor vitæ in mortem est.

d Eccli. 1. b

e Rom. 13. c  
*Triplicis gradus ferventium crucem.*

f Matt. 26. d  
*Christus deprecatur mortem; Andreas desiderat: O mirum!*

g Matt. 9. b  
h Matt. 20. b

Quid magnum fuerat, Domine Jesu, si accedente hora, propter quam veneras, intrepidus stares, tanquam qui potestatem habebas ponendi animam tuam, & nemo eam tollebat à te? An non longè gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, ut non modo passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret; & quos vivificabat mors tua, tua nihilominus & trepidatio robustos, & mœstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, desolatio consolatos? Lego quidem in Lazari resurrectione, quia *insremuit spiritu, & turbavit seipsum*<sup>i</sup>.

i Ioan. 11. d

Mmm 2

Sed



Luc. 22. c  
Christus ab  
Angelo con-  
fortari voluit.

2. Cor. 5. d

Ioan. 14. b

Christi ab  
Angelo sola-  
tium suscipi-  
tis Exemplum  
animat nos in  
tribulatione  
pusillanimes.

2. gradus fe-  
rentium cru-  
cem libenter.  
Sapient. 19.  
Psal. 36. c

p Luc. 2. b

q Rom. 8. d

r Psal. 118. h

3. Gradus fe-  
rentium cru-

Sed esto interim, quia seipse turbavit, non conditionis necessitate, sed suæ beneplacito voluntatis. Nunc autem aliquid jam amplius audio. Usque adeo siquidem prævaluit ea quæ fortis est ut mors dilectio, ut Christum Angelus DEI confortaverit. Quis, quem? Evangelistam audi k. *Apparuit* (inquit) *Angelus confortans eum*. Quem eum? Planè eum, cui nascituro clavius patuit Virginis uterus; cuius nutu in vinum aqua mutata est; cuius tactu lepra fugata; sub cuius plantis solidum mare stetit; ad cuius vocem mortui surrexerunt: Denique eum qui portat omnia verbo virtutis suæ l, per quem facta sunt omnia; per quem universa subsistunt, etiam & Angelus ipse. Et quid dicam? Quem eum? Minus enim morarer, si non penitus esset indicibilis. *Confortans eum*. Quem eum? Cuius ne ipse quidem confortator suus capere poterat maiestatem.

Rogo te Angele, quem consolaris? An ignorabas quis esset ad quem consolandum veniebas? Certe consolator est, certe paracletus est. Alioquin non diceret m, alium Paracletum à Patre mittendum Apostolis, si non esset & ipse Paracletus. Deniq; agnosco & in hoc ipso Paracletum maximum, agnosco Paracletum benignissimum, qui prope sit his qui tribulato sunt corde. Non despero jam, Domine, etiamsi molesta mihi videatur tribulatio, quam patior, etiamsi pusillanimes sum, etiamsi desidero, ut transferatur calix à me. Non despero, inquam, dummodo audiam ipse. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Didici etiam ex hoc ipso non ad carnalem sive caducam recurrere consolationem, sed ad angelicam, sed ad spiritualem, sed ad cœlestem. Ita planè, dummodo non murmurem: id enim penitus separet à te, si non citius resipiscerem: non renuo, etiamsi opus habeo consolari. Quid enim? Agnosco vocem meam in Salvatore; & de salute desperem? Plane in patientia mea possidebo animam meam.

Veruntamen proficere volo si possum, nec statim adepta salute esse contentus. *Qui timet Deum* (ait Sapiens n) *faciet bona*: sed parum est. Scriptum est enim o: *Declina à malo & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam*. Noli esse salute contentus, quære pacem; ne tibi sit in periculo etiam salus ipsa. Audi ergo Angelum nato eo, qui factus est pax nostra, exultantem atq; canentem p: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*. Quæ autem bona, nisi ordinata voluntas? Quænam est illa inquis? Profecto quæ rationi consentanea est dicenti q: *Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Hoc si jam sentire cœpisti, haud dubium quin libenter feras crucem Domini, & dicas r; *Paratus sum, & non sum turbatus ut custodiam mandata tua*.

Attamen si vis perfectus esse, unum adhuc tibi est necessarium. Quid, illud? inquis, Profecto gaudium in Spiritu Sancto. Siquidem & is qui



qui timore coeretur & patiens est, & qui ratione ſpei ducitur, & benevolus est: niſi etiam fuerit fervens ſpiritu, ſacili labi poteſt. Porro quæ per Spiritum diffunditur charitas, & patiens & benigna eſt: & quod eſt amplius, nunquam excidit. In primo denique mandato quod Parentibus noſtris datum eſt, ſi diligenter conſideres, & Eva patiens, & Adam benevolus fuiſſe videntur. Quia tamen uterque cecidit, liquet quòd ſtabili non erat ille, vel illa gradu. *Vidit mulier lignum (ait ſcriptura) quòd eſſet pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaſe.* Non tibi videtur vix continere manum? Sic & ubi à ſerpente interrogata eſt, vide ſi non manifeſte ſonant verba ejus moleſtum ei fuiſſe mandatum. *Ex omni (inquit) ligno paradifi comedimus, de ligno autem ſcientiæ boni & mali dixit nobis, ne comedamus.* Non dicit, ſic & voluntas Creatoris: quare ſic, ipſe novit: nobis ſufficit obedire, quia vita noſtra in voluntate ejus. Itaque facile ſeducta eſt mulier & promiſſioni credere, & acquieſcere perſuaſioni. Vir autem non ſeductus eſt, ſed ſubverſus mulieris amore. Optaret enim ſemper ſervare mandatum quod ſibi utile noverat, ſi non mulier ei aliud ſuaderet. Nec aliquam in ſervando mandato viſus eſt pati difficultatem, ſed quæ bona voluntas erat, non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem.

*cem gauderet,*

*\* ſ Gen. 3. b  
Primorum pa-  
rentum lapſus  
ex inſtabilitate,  
& defectu  
charitatis.*

*1. Tim. 2. b*

*# Cant. 8. b*

*Vis & effica-  
cia charitatis*

*Meditationis  
& orationis ne-  
ceſſitas.*

Fortis quippe eſt ut mors, non patientia aut ſpes, ſed dilectio. Non timor aut ratio, ſed ſpiritus fortitudinis eſt. Dicit patientia, ſic oportet fieri: quia timore urgetur. Dicit voluntas bona, ſic expedit, & ſic agendum eſt: quia ſpei attrahitur ratione. Charitas vero quæ inflammatur à ſpiritu, neque ſic oportet, dicit, neque ſic expedit: ſed ſic volo (inquit) ſic cupio, ſic deſidero vehementer. Videtis quanta ſublimitas, videtis quanta ſecuritas quantaque ſuaſitas charitatis? Felix anima quæ ad hunc charitatis pervenerit ſtatum. Nec fanè deſperandum nobis, quandoquidem ejus, qui ad hunc pervenit gradum, hoc maxime memoria celebratur: ut ipſius & invocemus auxilium, & provocemur exemplo. Plus dico, & ex nobis nonnullos videre mihi videor in hoc gradu. Si dicis beatum Andream Apoſtolum eſſe, nec poſſe te, qui puſillus es, ejus ſequi veſtigia: pudeat vel eos qui tecum ſunt, non imitari. Nemo repente fit ſummus: aſcendendo non volando apprehenditur ſummitas ſcalæ. Aſcendamus igitur velut duobus quibuſdam pedibus, meditatione & oratione. Meditatione ſiquidem docet quid deſit, oratione deſit obtinet. Illa viam oſtendit, iſta deducit. Meditatione denique agnoſcimus imminetia nobis pericula, oratione evadimus, præſtante Domino noſtro JESU

Christo.

M m m 3

DE



## DE SANCTO ANDREA APOSTOLO

## S E R M O II.

**B**Eati Andreae Apostoli solemnitas hodie celebratur : quam si pia solitudine perscrutemur , multa invenimus in ea quae aedificent animas nostras. In ipso siquidem conversionis suae initio magnum nobis perfectae Obedientiae praestat exemplum. Quod quidem Christianis omnibus necessarium : nobis tamen est charius amplectendum , qui nimirum specialiter ex ipsa professione nostra tenemur obedientiae debitores. Sapiens nummularius est , imò ipsa sapientia , cui necesse habemus reddere hunc obedientiae nummum : nec suscipiet eum nisi & integer inveniat , & sine aliqua falsitate. Nam si discutimus , si adjudicamus , & in hoc quidem praeepto obedimus , sed non illo , fractus est nummus ; non suscipiet eum Christus , à quo nimirum tenemur nummi integri debitores. Omnes enim obedientiam simpliciter & sine ulla exceptione promissimus. Quòd si quis obediat quidem , sed simulatorie & ad oculum ; murmuret autem in abscondito , falsus est nummus ejus : plumbum habet non argentum , & iniquitas sedet super talentum plumbi. Dolose agit , sed in conspectu Dei , quoniam Deus non irridetur.

Obedientia  
exempl.

Obedientia  
viciosa.

a Matt. 4. c\*  
Obedientia  
perfecta E-  
xemplum in  
Petro & An-  
drea.

b 1. Cor. 9. b  
c 1. Cor. 13. a

De Passione  
S. Andreae.

Vis audire perfectae obedientiae formam ? *Vidit Dominus* (ait Evangelista <sup>a</sup>) *Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Faciam* (inquit) *de piscatoribus piscatores: imò praedicatores. At illi continuo nihil dijudicantes aut haesitantes, non solliciti unde venerunt, non considerantes quonam modo rudes homines & sine literis praedicatores fieri possent: nihil denique interrogantes, sine omni mora relictis retibus & navi secuti sunt eum.* Agnoscite, Fratres, quoniam propter vos scripta sunt haec, propter vos singulis annis in Ecclesia recitantur; ut discentes verae obedientiae formam, castigetis corda vestra in obedientia charitatis. Haec nimirum est quae sola commendat obedientiae nummum, hoc illius argentum est probatum atque purgatum. Sola est charitas quae obedientiam gratam facit & acceptabilem Deo, Hilarem quippe datorem diligit Deus <sup>b</sup>. Et <sup>c</sup> *si tradidero* (inquit <sup>c</sup>) *corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam: nihil mihi prodest.*

*Vultis ut de ipsa quoque beati hujus Apostoli passione, quam nimirum hodie celebramus, loquamur aliquid ad laudem Christi, & aedificationem vestram? Audistis certè cum pervenisset beatus Andreas ad locum ubi crux parata erat, quomodo confortatus sit in Domino, & per Spiritum quem unà cum cæteris Apostolis in igneis linguis acceperat,*  
verba



In Festo S. Andreae Apostoli, Serm. II. 465

verba verè ignea loqueretur. Videns ergo paratam eminus crucem, nequaquam ( ut exigere videtur mortalis infirmitas ) facies ejus expalluit, nequaquam sanguis ejus gelatus est, non steterè comæ, aut vox faucibus hæsit: non contremuit corpus, nec mens turbata est, non recessit, ut assolet, intellectus. Ex abundantia cordis os locutum est, & charitas quæ fervebat in corde, quasi scintillas quasdam ardentissimas emittebat in voce. Quid enim beatus Andreas cum sibi paratam ( ut dixi ) crucem eminus cerneret, loquebatur? *O crux, inquit, diu desiderata, & jam concupiscenti animo preparata: securus & gaudens venio ad te, ita ut & tu exultans suscipias me discipulum ejus qui pependit in te, quia amator tuus semper fui, & desideravi amplecti te.* Obsecro, Fratres, homo est qui loquitur hæc, an non est homo, sed Angelus, aut nova aliqua creatura? Homo plane similis nobis passibilis. Nam passibilem eum passio ipsa testatur, qua appropinquante tam lætabundus exultat. Unde ergo in homine nova hæc exultatio, & lætitia hæcenus inaudita? Unde in tanta fragilitate tanta constantia: Unde in homine tam spiritualis mens, tam fervens charitas, animus tam robustus? Absit ut à seipso tantam ei credamus inesse virtutem. Donum perfectum est, descendens à Patre luminum, ab eo utique qui facit mirabilia magna solus.

*Visam eminus crucem exultabundus salutat.*

*Vnde B. Andrea tantus animi fervor & fortitudo.*

Planè spiritus erat, dilectissimi qui adjuvabat infirmitatem ejus, per quem diffundebatur in corde ipsius fortis charitas ut mors, imò & fortior morte. Cujus o si & nos participes inveniamur! Ecce enim molestus est nobis pænitiæ labor, corporis afflictio gravis, abstinentia onerosa: in vigilijs dormitat anima nostra præ tædio, non ob aliud sanè quàm propter inopiã spiritus. Ipse enim si adesset, adjuvaret sine dubio infirmitatem nostrã: & sicut beato Andreae crucem & mortem ipsam, sic nobis quoque laborem & pænitiã nostram faceret, non solum non molestam, sed etiam desiderabilem atque omninò delectabilem esse. *Spiritus enim meus ( ait Dominus ) super mel dulcis,* ita ut ne ipsa quidem dulcedini ejus prævalere queat amarissima licet mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit esse dulcissimam? Quæ resistere possit asperitas unctioni illi, quæ mortem quoque facit suavissimum? *Cum dederit ( ait e ) dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Quam molestiam non expellit gaudium illud, quod mortem quoque ipsam facit esse lætissimam? Quæramus hunc spiritum, Fratres, tota sollicitudine operam demus ut mereamur habere hunc spiritum, imò ut quem jam habemus, abundantius habeamus. Quicumque enim spiritum Christi non habet, hic non est ejus *f*. Nos autem non accepimus spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.

*Languor ad spiritualia in nobis unde.*

*d Eccli. 24. c*

*• Psal. 126. a*

*f Rom. 8. b  
Desiderium  
maioris gratie  
est testi-*

Testimo-



monium præ-  
sentie spiritus.

Testimonium præsentia ejus præbent opera ipsa salutis & vitæ, quæ nul-  
lateus agere possemus, nisi Spiritus qui vivificat, spiritus Salvatoris  
adesset. Quæramus igitur ut dona sua multiplicet Deus in nobis, spiri-  
tum suum augeat, qui jam primitias dedit. Nullum enim omnino præ-  
sentia ejus certius testimonium est quàm desiderium gratiæ amplioris,  
quoniam ipse dicit: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me,*  
g Eccli. 24.c *adhuc sitient.* &

Petentes non  
accipimus, eo  
quod negli-  
genter peti-  
mus.

h Matth. 7. b

Cruce cuique  
tollenda.

\* i Luc. 9. c

Arma con-  
tra hostem  
capienda.

\* i Plal. 90. a

Armorum  
spiritalium  
necessitas.

Sed fortasse multorum nobis conscientia jam respondent. Desi-  
deramus quidem hunc spiritum, qui sic adjuvet infirmitatem nostram,  
sed invenire non possumus. Et ego dico, propterea non invenitis, quia  
non quæritis: propterea non accipitis, quia non petitis. Petitis & non  
accipitis, eo quod negligenter petatis. Nihil enim aliud expectat, nihil  
aliud quærit Deus, nisi ut sedulo & cum desiderio requiratur. Denique  
quando negabit petentibus, qui etiam non petentes provocat & hortatur  
ut petant? *Si vos* (inquit <sup>b</sup>) *cum sitis mali, vestris bona data dare filiis ve-*  
*stris, quanto magis Pater vester cælestis de cælo dabit spiritum bonum petentibus*  
*se?* Petite ergo, charissimi, petite sine intermissione, petite sine hæsi-  
tatione: in omnibus operibus vestris dulcissimi semper hujus ac suavissi-  
mi spiritus præsentiam & auxilium invocate. Et nos enim, Fratres,  
cum beato Andrea necesse habemus tollere crucem nostram, imò cum eo,  
quem & ipse secutus est, Domino Salvatore. Inde enim sic lætabatur,  
inde sic exultabat, quod non solum pro eo, sed etiam cum eo mori vide-  
retur, & complantari similitudini mortis ejus, ut compatiens etiam con-  
regnaret. Cum quo ut simul crucifigamur & nos, attentius auribus cor-  
dis audiamus vocem dicentis <sup>i</sup>: *Qui vult venire post me, abneget semet-*  
*ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ac si dicat: qui me desi-  
derat, se despiciat; qui vult facere voluntatem meam, discat frangere suam.

Sed continuo bella insurgunt, armantur protinus adversum nos  
inimici. Et nos armemur contra, imitemur arma Regis nostri, ut tolla-  
mus & nos crucem nostram, in qua de inimicis omnibus triumphemus.  
Audi enim quid Psalmista promiserit, imò Spiritus sanctus per os ejus <sup>k</sup>:  
*Scuto* (inquit) *circumdabit te veritas ejus*, haud dubium quin Altissimi.  
Deo siquidem loquebatur, sicut manifestè indicant ipsius psalmi præce-  
dentia verba. Ad quid, Fratres, scuto circundamur, nisi quia nos un-  
dique bella circundant? Denique quid causæ sit ut te scuto circundet, at-  
tende. *Scuto* (inquit) *circumdabit te veritas ejus.* Ad quid enim? *Non*  
*timebis* (inquit) *à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio per-*  
*ambulante in tenebris, ab incursu & daemonio meridiano.* Videsne quàm  
necesse sit, ut scuto circundet te veritas, quem sic hostium tela circun-  
dant?



Ab inferiore enim parte timor nocturnus insurgit, à sinistris sagitta volat in die, à dextris perambulat negocium tenebrosum: & ut nihil sit vacuum, à superiori parte dæmonium meridianum insurgit. Nos autem misereri & miserabiles vicinis tot serpentibus, & igneis telis undique volantibus, insurgentibus inimicis, nihilominus perniciofa securitate & negligentia, dormitamus, torpemus ocio, vanitatibus & scurrilitatibus indulgemus, tam pigri ad spiritualia exercitia, ac si jam pax sit & securitas, & non sit militia vita hominis super terram. Hoc est (dico vobis charissimi) quod me vehementius terret, quod omnino timoris acerbissimi gladio transverberat animam meam: quod inter tanta pericula minus timorati, minus exercitati, minus quàm necesse sit solliciti videamur. Siquidem unum è duobus hæc ipsa negligentia nostra probat, aut omninò traditos nos hostibus, & nescire: aut si inter hæc conservamur, ei qui tuetur nos, ingratos nimium inveniri. Quorum utrumque quid periculi habeat, satis manifestum est. Propterea obsecro vos, dilectissimi, ipsa nos excitet hostium malitia pervigil, & instantia eorum maligna; qua tam seduli, tam solliciti sunt in nostram perditionem, nos quoque sollicitos faciat & circumspectos, ut in timore & tremore nostrâ ipsorum salutem operemur.

*Securitas nescita in tot tantisque periculis quam perniciofa.*

Ecce enim in cruce salus nostra, tantum ut ei viriliter inhæreamus.

*Verbum crucis (ait Apostolus) pereuntibus quidem stultitia, his autem qui salvi sunt, id est nobis, virtus Dei est.* Ipsi est scutum quo circumdamur, ut ejus quatuor cornua quadrifaria hostium tela repellant. Sit ergo

*1. Cor. 1. b\**

inferius cornu contra timorem nocturnum, id est, adversus pusillanimitatem, quæ de carnis afflictione procedit, ut id, quod sub nobis est, corpus castigare viriliter studeamus, ac subiicere servituti. Si quis verò nobis in faciem maledicit, si quis apertè mala suadere conatur, in die volat sagitta, & à sinistris est, sinistro nihilominus cornu crucis excipienda. Quod si adulatur, si quasi consulentis animo venenum propinat fraternæ detractionis, & odium seminare conatur, si denique iniquum aliquid tanquam justum persuadere tentat, à dextris est mihi iste: sed Judas est, osculo me prodit, & dextro cornu crucis negocium perambulans in tenebris necesse est propulsari. Sed ecce dæmonium meridianum, superbiæ scilicet spiritus, qui nimirum in splendore majori virtutum acius insurgere solet. Hæc autem quàm perniciofa sit, sapius vobis intimare curamus. Initium quippe omnis peccati & causa totius perditionis superbia est. Propterea quisquis es qui salutem tuam operari studes, adversus hanc, super caput tuum, cornu crucis habere memento, ut non eleveris in superbiam, non exaltetur cor tuum, non ambules in magnis neque in mirabilibus super te: sed tela ea quæ de sublimi

*Quatuor Crucis cornua mysticè exposita.*

*Superbia in ipsis virtutibus maxime cavenda.*



veniunt ; supereminens capiti tuo cornu crucis excipiat. Sanè hoc solum est, cui salutis pariter & regni titulus inscribitur ; quia solus qui se humiliat, salvari & exaltari meretur.

*Demon perseverantia insidiatur.*

*Manendum & moriendum in cruce. † v. Fascic. Cyster. Chrysoft. Henriquez. lib. 1. dist. 13. ubi dicitur fuisse fundator & primus Abbas Cœnobij Igniacensis à B. Bern. constitutus, postea tamen deposito præfecturæ onere ad Clarâ-Vallem rediisse, ibique sancto fine quievissè. Mortis sola potestas in corpore, nulla in animam.*

Jam ut breviter repetam, quatuor hæc cornua sunt, continentia, patientia, prudentia, & humilitas. Felix anima quæ in hac cruce gloriatur & triumphat, tantum ut perseveret in ea, nullis valeat tentationibus deiici. Oret igitur quisquis in hac cruce est, oret cum beato Andrea Dominum & Magistrum suum, ne patiat eum de cruce deponi. Quid enim malignus ille non audeat, quid non præsumat impius attentare ? Quod *Ægeæ* manibus de discipulo, hoc *Judæorum* linguis facere cogitaverat & de Magistro. In utroque tamen sera pœnitentia ductus, victus & confusus abcessit. Utinam abeat similiter & à nobis, eo vincente, qui & in se, & in discipulo triumphavit. Faciat ipse ut mereamur & nos in hac nostra qualicunque cruce pœnitentiæ, quam pro ipsius nomine tulimus, feliciter consummari, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

IN OBITU DEVOTI HUMBERTI MONACHI. †  
S E R M O.

**H**umbertus famulus Domini mortuus est, devotus famulus, servus fidelis. Ipsi vidistis quomodo nocte præterita inter manus nostras expiravit tanquam unus ex vermiculis terræ. Per hoc triduum fatigavit eum mors, & demolita est intra fauces suas, ut satiaretur sanguine quem fitivit. Eia fecit quod potuit, occidit carnem, & ecce recondita est in corde terræ. Separavit à nobis dulcem amicum, prudentem consiliarium, auxiliarium fortem. Nec mihi nec nobis pepercit insatiabilis homicida, mihi minus. Siccine separas amara mors ? O bestia crudelis, ô amaritudo amarissima, ô fœtor & horror filiorum Adam. Quid fecisti ? Occidisti, possedisti. Sed quid ? Carnem utique solam. Animæ enim non habes quid facias. Volat ad creatorem suum : quem tam ardentem concupierat, tam fortiter secuta fuerat omnibus diebus vitæ suæ. Sed & ipsum corpus quod videris habere, auferetur à te : cum tu novissima inimica destrueris, & absorberis in victoria. Reddes utique reddes aliquando corpus istud, quod ad signum adventus tui tantis hesternæ die sputis & excretionibus, ac multiplici sordium squalore repleveras, lætabunda & laudans, quia hunc tuis laqueis irretiisses. Veniet Unigenitus Patris cum potestate magna & majestate Humbertum quærere, & illud idem cadaverosum corpus configurare corpori claritatis suæ. Tu autem quid ? Profecto (quod <sup>a Hier. 17. b</sup> in Hieremia scriptum est. <sup>a</sup>) in novissimo dierum stulta remanebis : & Humberto